

rantia, aut peruersam erroris diabolici rabiem, radios veritatis obfuscantem & aspectum veritatis obumbrantem.

Voluntatem ergo diuinam, verbi diuini seu sapientia, ab essentia DEI emanantis, actum motiuum à suo radio nunquam separandum, cum ipso verbo & emanatione æternam, atque ab eo non magis diuisibilem, quam calor ab igne aut lux à sole existimamus. Hanc eandem facimus prolapiam & parentem Deiformem radii diuini in homine, qui est actus primus in voluntate humana: Nam cum dixisset Deus faciamus hominem ad imaginem nostram, hic verbum *Fiat*, seu motiua verbi virtus erat voluntas Dei, seu signatura voluntatis eius viua, à qua radicitus orta est illa humana, nam immediate cum ipso verbo secutus est actus non modo vitæ, sed cum vita ille voluntatis.

Quid tum postea? An concludemus igitur quod voluntas hominis sit voluntas Dei? Imo vero vt vitam & mentem hominis sublimem à Dei essentia minime separari dicimus, quippe quæ sunt spiracula à Deo, & consequenter ab eius emanatione minime diuidendæ, nam essentia diuina est indiuidua, ita dicimus, quod voluntas hominis ab illa diuina exit, sed ista voluntas Dei erat ad speciem humanam effingendam, & ad illam continuandam, & gubernandam atque dirigendam in hac vita ad res bonas, & ad euitandas res fædas, coram Deo & natura humana abominabiles: iuxta illud sapientis, *DEVS è sanctis cælis mittit sapientiam homini, vt præsens versetur secum in labore & cognoscat quid gratum sit apud ipsum, Sap. 9.* Et alibi, *Vt dirigat hominem in via sua, at scintilla hæc diuinitatis, propter peruersam Adami errorem & peccatum, ita successoribus nostris est obscurata atque tenebris obfusca- ta, vt quamuis scintilla hæc in suo motu semper tendit ad bonum, tamen nihilominus propter tenebrosam corporis dispositionem, male capiuntur eius impressiones, atque hoc videtur sapiens agnoscere hisce in verbis, Quis hominum potest scire consilium DEI? aut quis potest cognoscere quid velit DEVS, cogitationes enim mortalium timida & incerta prouidentia nostra, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile estimamus quæ in terra sunt, quæ in cælis sunt quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sapientiam? & miseris spiritum tuum sanctissimum de altissimis, sic correctæ sunt semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines, Sap. 9.*

Quibus terlo verborum filo arguere videtur, quod grauedo & obscuritas corruptibilis corporis sit in causa incertitudinis vitæ humanæ, quod autem DEVS radium vitæ & intelligentiæ immediate immiserit in hominem ex his colligimus, *In homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis eum facit intelligere, Job. 9.* Et alibi, *spiritus Dei fecit me, & spiritus omnipotentis viuificauit me, Quibus liquet, quod tam rationis quam vitæ humanæ origo sit spiritus seu afflatus diuinus: Similiter quod radius hic vitæ atque intelligentiæ esset ipse sapientia spiritus ex hoc sapientis sermone capimus, Sapient. 9. 2. Hominem (inquit) fecit DEVS sapientia sua vt dominetur creaturis quæ ab ipso sunt factæ, Atque hinc dictum est, DEVM fecisse hominem ad imaginem suam, Genes. 5. 1. Vnde certum est, quod ipsa sapientia (cuius actus est voluntatis diuini effectus) sit fons & origo, non aliter voluntatis humanæ quam diuinæ.*

At tenebræ & corruptio corporis humani ob Adami peccatum, astutia & malitia Diaboli ei inductum, sunt erroris in vita occasio, atque prauorum voluntatis tam diuinæ in homine effectuum causa: nam Deus homini in prima eius creatione dedit spiritum sanctum, vt ipsum regeret & conduceret in semitis suis, & à corruptione defenderet, vnde dictus est *Homo templum spiritus sancti, Hoc autem confirmamus ex hisce dictis sapientis, DEVS creauit hominem inextremabilem, & ad imaginem similitudinis suæ facit illum, inuidia autem Diaboli mors introiit in orbem terrarum, Sap. 2. 23.* Et alibi, *Nolite Zelare mortem in errore vitæ vestra, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam DEVS mortem non fecit nec letatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit orbis terrarum nationes, Sap. 1. 16.* Quibus indicat, quod donum illud ab ipso homine datum esset sanitatis prudentiæ & fælicitatis actus, & quod illud vitio hominis, malitia diaboli procreato, obubratur, atq; ita errat homo in vita sua, nisi tenebræ illæ ab influxu sapientia diuinæ, è cælis altissimis emissæ, illuminentur, hoc est, radius radiis augeatur, omnis obscuritas corporea & diabolica tollatur, & ita natura naturâ lætabitur. Atq; ob hanc causam est differentia inter voluntatem humanam atq; illam diuinam, nō scilicet quod ambæ essentia conueniant, sed quoniam hæc nunquam versatur circa vanos effectus, illa vero licet semper sit in se bona, atq; certissimæ scientiæ, nonnunquam tamen caro putrida & vilis conuertit bonas ipsius operationes in malos & vitiosos effectus, quemadmodum iucundi solis radii in ardore adurentem violenta speculi vstorii reflexione conuertuntur: non quod malas ab illo actu diuino impressiones speculum illud vel caro acceperit, sed quod ipsa male recipiendo eius bonos actus, peccare soleat conuertendo per reflexionem rebellem directum radiorum motu in obliquum ab ipsa veritate, atque ita hominem peruersa & obliqua hæc voluntas errare facit peruersa carnis suæ receptio.

Hinc